DISSERTATIO MEDICA DE PHTHISI PULMONALI.

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus,

AUCTOR,

PETRUS-CLAUDIUS GRAND, Craponnenſis, olìm apud Velaunos, nunc ex partitione dictâ, *Département de la Haute-Loire*, Liberalium Artium Magiſter, jam-dudùm ſaluberrimæ Facultatis Pariſienſis Alumnus, Noſocomii dicti *Hôtel-Dieu*, & dein Noſocomii dicti *Hôtel des Invalides* Chirurgus, nec-non Scholæ practicæ Pariſienſis Academiæ Chirurgiæ Diſcipulus;
pro trimeſtri Aprilis 1791.

Pro primâ apollinari laureâ conſequendâ.

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger.
Interdùm doctâ plus valet arte malum.
OVID. lib. I.

MONSPELII,
Apud JOSEPHUM-FRANCISCUM TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographum, & Bibliopolam.

M. DCC. XCI.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.



AMANTISSIMO ET COLENDISSIMO

AVUNCULO MEO

CAPRASIO BRIGNON,

PASTORI DIGNISSIMO,

ET AD SAPIENTIUM NATIONIS CONVENTUM HONORABILI LEGATO,


OMNES animi nervos contendant adulatores in Mecenate illuſtrando; in numero Deorum faſtidientem vani & aſſidui præcones hæroem reponant. In te laudandum omnes elogiâ conſentire ſilens glorior. In me tua memor hìc omnia

in lucem edere beneficia animus ardet. Illorum à primâ ætate incipit catena; quæ ſcio, quæ poſſum, curis, conſiliis, auxiliiſve tuis omnia debeo. Novum in me quæſo confers, accipias animo vultuque ſerenis haſce primitias artis quæ omnes vitæ meæ delicias efficit. Hoc in re tam arduâ, primum tentamen ſit tibi pignus amoris, ſummæque venerationis, quæ altâ mente & imo corde in æternum remanebunt.

AMANTISSIME AVUNCULE,

Obſequentiſſimi
addictiſſimique nepotis,

P. C. GRAND.



TENTAMEN MEDICUM

DE

PHTHISI PULMONALI.

DEFINITIO GENERALIS.

PHTHISIS decrementum, consumptio, aliquandò corruptio significat. Indè phthisis dicitur morbus quo corporis evanescit torositas. Ob hanc etymologiam interse discrepant medici. Phthisin enim diminutio & colliquatio corporis appellantur ab istis, ab istis diminutio & colliquatio ex ulcere; cæteri demùm voluerunt diminutionem & colliquationem ex ulcere pulmonis phthisim esse vel tabem.

Apud *Hippocrates* tres leguntur tabis species; prima fit à pituita è capite ad pulmonem defluente; secunda à labore quam renalem vocat; tertiâ à spinali seu dorsali.

Galenus istam agnovit differentiam. Phthisis à græcis communiter dicta omnis diminutio corporis ac colliquatio: ea verò quam phthoën proprio vocabulo appellant, corporis consumptio ex ulcere ac demolitio est dicta (1).

(1) Junt. edit. finit. med. fol. 45. E. tom. 1.

Celſus tres agnovit phthiſis ſpecies ; phthiſim ex ulcere pulmonis ; atrophiam in quâ corpus non alitur, cùm naturaliter aliqua ſemper decedant, nulla verò in eorum locum ſubeant ; & cachexiam in quâ omnia corrumpuntur alimenta.

Aretæus purulentam labem in phthiſi voluit (1).

Alii inquam medici dixerunt phthiſim quandò corpus contabeſcit & colliqueſacit ex ulcere pulmonis : confirmat hoc *Galenus*. Tabes eſt exulceratio pulmonis, vel thoracis, vel faucium, ut & tuſſicula & debiles commitentur febres, & corpus conficiatur (2).

Aëtius propriè phthiſim vocari voluit ulcerationem pulmonis quæ poſt ſanguinis ſputum, pleuritidem & peripneumoniam ſequitur (3).

Nicolaus Piſo ſic de phthiſi ſeu tabe loquitur : phthiſis propriè ſignificat ulcus pulmonis cum febre, quandò homines adipſum brevi contabeſcunt : impropriè ergò pro quâlibet corporis conſumptione ſumitur (4).

His præmiſſis, cum *Van-Swieten* dicemus : phthiſis eſt conſumptio univerſi corporis habitûs per labem purulentam ; verùm talis conſumptio poſſet oriri à quocumque fomite purulento in diverſis corporis locis hærente.

De diverſis hodiè non dicam phthiſis ſpeciebus, ſed ſolummodò de phthiſi pulmonali, tanquam frequentiori, & omnium maxîmè propriè dictâ.

DEFINITIO.

Phthiſis pulmonalis eſt conſumptio & colliquatio totius corporis ex ulcere, vel tuberculis ulceratis in pulmone hærentibus, & quas concomitat febris lenta.

C*AUSÆ*.

Originem ducere poteſt ex omnibus quæ ſanguinem in pulmonibus ità ſiſtere valent, ut in materiem purulentam abeat. Sic omnes pulmonis inflammationes quæ hæmoptoën producunt, pleuritis, peripneumonia, pleuro-peripneumonia ; aër humidus & calidus ; exhalationes metallicæ & vene-

---

(1) De cauſis & ſignis morb. diuturn. l. 1. cap. VIII. p. 36.
(2) *Junt.* ed. fin. med.
(3) Lib. VIII. cap. LIII & LXII.
(4) De morb. cogn. & curand. lib. II. c. X.

natæ ; cibi & potus irritantes, ſalino corroſivis & acribus moleculis abundantes. Hæc ſanguis ad minima vaſcula pulmonis deponit, hæc corrodat, hæmophtoës ſupervenit : illorum verò ſpirituum acrium, multa halitu inſpirantur effluvia ; v. g. in laboribus chimicis, aut pulverum qualiumcumque acrium in aliis mechanicis operibus ; hæc in aëriis derelinquuntur cellulis, corroduntur parietes & en exulceratio & mox tabes. Hunç morbum excitant pervigilia, ſtudiorum agitationes ; immoderatæ exercitationes, vociferationes, animi affectiones pravæ ; triſtitia ira, invidia, &c. Humorum acrimonia tùm acida, tùm alkalina, tùm morbiſica : hæmorrhoïdum, menſtruorum, lochiorum, ſudationum ſuppreſſio ; æſtuante corpore potus gelidus. Migrat labes purulenta quævis ; lues venerea, ſcrophulæ &c. in pulmonem migrant ſcabies, variolæ, & omnia exanthemata ; mox adeſt lugenda tabes. Rarum non eſt malignas terminari febres in abceſſum & ulcus pulmonis phthiſicum.

Inter cauſas recenſentur adhùc glandularum variarum pectoris inflammatio, catharroſa tuſſis, aſthma, ſcirrhus, tuberculi, vomicæ, calculi.

Adoleſcentia tabi objecta eſt (aït *Celſus*) & inter adoleſcentes, magis objecti ſunt qui collo longo, ſcapulis depreſſis & elevatis, pectore anguſto præſtant ; qui hillares ſuperbiunt colore candido, amæno roſeo, & ſubtilitate ingeniî ; quibus albeſcunt dentes colore lactis & præſertim quibus innata labes.

DIVISIO.

Differentias phtiſis admitit varias. Diſtinguemus in *incipientem*, quæ levibus hominem exercet ſymptomatibus ; *confirmatam*, quæ omnia habet ſigna tabis & conſumptionis ; & *deploratam*, tunc ferè conſumpti ſine ulla ſpe jacent phthiſici, & mox moriuntur. Diſtingui poteſt phthiſis ratione cauſæ, diuturnitatis, ſymptomatum plùs minùſve urgentium, temporis ipſius morbi, ætatis ægri, & aliarum circumſtantiarum.

DIAGNOSIS.

Diagnoſim ſecundùm diviſionem noſtram ſtatuemus.

Incipientem cognoſcere morbum difficile eſt ; primo enim gradu leniter afficitur ægrotans tuſſiculâ exiguâque dyſpnœâ : ſputa cruenta contemnit & præcipuè juvenis voluptatibus deditus non conqueritur, aut parùm curat, & radices agere firmiores permittit.

Si quis attamen præſtet habitu phthiſicorum, aut tabidâ ſtirpe ſatus, tuſſiculâ è pulmonibus ſputa cruenta educat, caveat ; caveant omnes qui

hæmophtoë laborant præsertim si vis externa huncce non attulit morbum. Per errosionem aut rupturam eductus sanguis in aërias vasculis cellulas, tussim excitat prout externum corpus. Convulsiunculæ adsunt & magis ac magis expuitur sanguis. Caveant qui tussi eâ parvâ laborant quam vulpinam vocamus, & qui sine dolore cruentum edunt sputum, mox sordidum, mox purulentum, & qui puncturas quasdam toto thorace, titillationes sentiunt ad fauces. Post pleuritidem, peripneumoniam, vomicam, ruptam, sputis pus magis ac magis educitur, evanescit corporis torositas, vires evanescunt, febris exigua, lenta, putris ac symptomatica diù, noctuque intensior superest, jam tabes adest & confirmatur.

Confirmata faciliùs dignoscetur. Jàm valdè apparet corporis consumptio; febris hectica, tussis crebra mane & vespere aucta & noctu molestior. Sputa procreans viscosa plùs minùsve purulenta, quandòque pulmonis substantiam defferentia; redeunt quandòque cruenta. Sitis ardet varia, aliquandò cibum appetunt, vires tamen ac corporis forma evanescunt. Si scalas vel montes scandant, spiritus defficit, dyspnœa augetur cum cordis palpitatione frequenti; gennæ coloratæ livescunt; exhausta digitorum carne exalbidi vel pallidi apparent, pedes tumescunt, pulsus est parvus & hecticus, id est, undequaque sibi similis; expiratio graveolet, & tetrum afferunt odorem sputa carbonibus usta. Tabidis in aquam marinam expuentibus, si pus fundum petat, celerem perniciem denunciat (1). Nam naturalia facilè solvuntur, vel mucosa supernatant. Urinæ naturales aliquandò, aliquandò oleaginæ, vel furfureæ ob humidi consumptionem, sudoribus frequentissimis & præcipuè nocturnis pectora madefacientibus. Tandem debilitas universalis, & jam horrida macies totum desformat corpus. Nunc advolant *deploranda* symptomata, capilli defluunt, pedes manusque tumescunt à parte affectâ, pustulæ aquosæ epiderminem attollunt, & exanthemata miliaria alba satis referunt, sed majora; oculi cavi apparent, gennæ colapsæ, color luridus, nasus & aures rigida ac frigida, labia pallida, toto corpore, non nisi cutis ossibus hæret. Accuratissimè hancce tristissimam depinxit imaginem. *Ovidius*, metam. lib. VIII. vers. 805 & seq.

. . . , ... Cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes;
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus & à spinæ tantummodò crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis & immodico prodibant tubere talo.

---

(1) *Hipp.* coac. prænot. ed. *Foes.* sect. 11. pag. 188.

Reſpiratio cum anxietatibus præcordiorum difficilior quotidiè evadit. Sæpiùs ante mortem intumeſcit abdomen niſi vel nimius ſudor, vel ſuper accedens diarrhæa ipſum vitæ terminum acceleraverint. Pediculorum copia moleſtat donec expuitur pus, expurgatur, ut ita dicam, pulmo: cum verò intûs manent, obſeruntur quidem viæ ſpiritûs, patientes ſtrangulantur, hic affectus ferinus vocatur quia malignus, vel quia curvatas habent ungues feris inſtar.

Non ſolum in pulmone hæret phthiſis ſed etiam in thoracis parietibus: inflammatio pleuræ pulmonem fixit & hæc adhæſio ſputa tunc explicat purulenta.

In pulmone tabes minimum affert dolorem vagum & profundum, in pleura verò ſtabilis eſt dolor & ingraveſcit, procumbenti in latere oppoſito dolori. Quandòque ſputum affert pulmonis partem, quæ locum indicat affectum, an arteriam aſperam, an pulmonis ſubſtantiam, &c.

Si ſub ſterno gravans lancinanſque adſit dolor cum cæteris phthiſeos ſignis, tunc judicare licet mediaſtinum eſſe affectum, imò ex abſceſſu mediaſtini ſuam originem cœpiſſe morbum.

Si ſcirrhus ulceris ſit cauſa, tùm ægri velut pondus aliquod premens ſentiunt in aliquo pectoris loco, ubi nimirùm infarctus ſcirrhoſus factus eſt.

PROGNOSIS.

O quantùm difficile eſt curare morbos pulmonum, aït *Baglivius*, ubi de morb. pect.

Ex ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum.

Ex puris ſputo tabes & fluxus, ubi verò ſputum ſiſtitur, moriuntur.

Aphoriſmi hicè duo medicinæ patris, ſunt & hiſtoria & prognoſticum ſcrupuloſa diræ phthiſis. Secundùm diviſionem noſtram dicemus: incipiens quandoque curatur, confirmata difficillimè, & deploratam nunquàm ullus ſanavit *Appollo*.

Incipiens ab hæmophthoë difficultatis gradus experitur. Hæmophthiſis à vi externâ, ab immoderatis clamoribus, ſi nullum adſit in ſanguine vitium, ſi præſertim anguſtiſſima dilacerata fuerint vaſa, tunc facilè ſanus evadet ægrotans. Si hæmophthoën erroſione vaſorum, vel craſſorum diſruptione,

---

(1) *Hippocr.* ad *Foeſ.* l. VII. aphor. aph. 15. 16.

vel hæmorrhoïdum, menstruorum lochiorumvè, confertur sanatio, sed minùs facilè, si jam pus his causis sputetur minùs facilè adhuc: si hæc omnia, tabidâ stirpe satum vel habitu corporis phthisi inclitum contingant, tunc imminet periculum. Quotquot autem phlegmone sic occupavit, ut jam febricitarent horum nullus est in totum persanatus (1).

Si vomica diù existat in pulmonis parenchymate & cùm disrumpitur non perfectè & citò pus evacuetur, pessimum. Scirrhus si sputa purulenta præcesserit & existat, sanatio perfecta nulla.

Jam diximus phthisis confirmatæ curationem perdifficillimam esse; nam motus pulmonis efficit vitam, & motus pulmonum maximum est incommodum.

In phthisi verò deploratâ nullum solatium; nam tunc jam dissoluti sunt pulmones, vel ferè omninò absunt ut observavit *Morgagni* multoties (2). In nosocomio Parisiensi egomet duas vidi filias unam triginta annis natam, alteram verò viginti quinque: primæ pulmo à dextris adæquabat ovum gallinaceum nec plus, à sinistris verò scirrhosus dimidiam voluminis amiserat partem. Alterius pulmo à dextris lividus erat, nigris conspersus maculis, à sinistris minima pulmonis portio in aquâ purulentâ natabat.

Facilè intelligitur quod si ulcus grandiùs sit in exttemitate pulmonum tûnc pus & sputis exit & in capacitate thoracis infunditur, tunc complicatur phtihis empyemate.

Phtisis confirmata, aït *Zachias*, habet conjunctum secum contagium, & quandòque tantâ pravitate & malignitate commitatum, ut habitu inficere possit (3), & matrimonium hâc de causâ irritum dicit (4).

Halitus contagione imprudentes alios labefactat, aït *Nicol. Piso* (5).

Vid. *Van-Swieten* comment. in aphor. *Boërh.* t. IV, p. 64 & &c.

Nunc phthisicam mulierem nosco à menstruorum suppressione, cujus filia 14 incipiens annum majorem sanginis spuebat quantitatem quoties cum matre incumbebat.

CURATIO.

Hæmophthoë veniente, mittatur sanguis & eò abundantiùs quò abundantiùs expuitur: antiphlogistica addhibeatur diæta. Stirpe tabidâ sati præ-

(1) *Gal.* method. med.

(2) De sed. & caus. morb. lib. II de morb. thot. epist. 22, n°. 6 & 8.

(3) Quæst. med. legal. liv. VIII, tom. 2, quæst. 10 5.

(4) *Zach.* ibid. t. 3, consil. 78.

(5) De morb. cogn. & cur, lib. II, cap. 10.

cipuè & etiam ſputa non expectent cruenta, ſi adſit reſpirandi difficultas vel catarrhoſa tuſſis cujus vehementia debilia frangeret vaſa : circà 17, 18 annum, tunc non indormiant, mittetur ſanguis & recta obſervetur vivendi norma. Hâc curâ unicum ſervavit hæredem celeberrimus *Boërhaavius*, in cujus familiâ hæreditaria hæc labes erat. Cautiones adhibeantur iſtæ uſque ad 36 vel 37 annum, tunc paulatim à venæ ſectione temperandum, ne demùm debilitet corpus, & tandem qui vitavit Scillam, Caribdi hauſtus ſit hydropicus moriendo, ut exemplum affert *Van-Swieten* (1).

Si jam pus educatur, non deſperandum tamen. Pathologia ſolertiſſima hîc maximi eſt momenti. Si labes eſt hæreditaria, vel venerea, vel ſcrophuloſa, &c. therapeutica tunc exigit ſanari procreantem cauſam. Si exanthemata, vel periodici effluxus ad pulmonem repercuſſa fuerunt, revocare hæccè ad priſtinam ſedem methodo enitatur leniſſimâ medicus.

Si cacochymiâ ſuperſit ulcus, vel poſt febrem evaſerit criticum, & præſertim ſi in thoracis parietibus inhærens ſuſpiciatur, tunc emplaſtra veſicantia ad locum ubi recenſetur dolor, admoveatur ferrum candens & plagæ efficiantur cauterio vel pus eliciatur foris. *Setone*. Per alvum evacuare morboſam materiam conati ſunt medici, purgantia adhibuit *Hippocr*. non abſque cautelâ. *Benedictus* vult in initio morbi præſertim leniora purgantia, & tandem remedia ad ſanguinem muniendum contrà infectionem purulentam, vel quæ humorum degenerationi efficaciter reſiſtunt, vel quæ viſcoſos & craſſos humores extenuant, *Fernel*. Quandò cacochymia adeſt purulenta & ſola dignoſcitur tabida lues tunc ad ulcera deſſicanda adminiſtrantur aquæ thermales Montis aurei, Bonenſes, Cauterienſes; aquæ calcis, nauticæ picis; ſed celebrantur cortex peruviana (Vide *Torti*, *Morton*, *Van-Swieten*) therebentina reſina, le *ſagou*, le *ſalep*, mel, ſed imprimis ſacharum roſatum. Lege *Avicennium* (2), *Cardanum* (3), *Nicolanm Piſonem* (4), *Riverium* (5).

Multa conferunt hæc remedia omnia, & quædam alia empyrica de quibus hîc non loquor, ſed nulla, ſi præcipuè rationi victûs non attendatur.

Aër deligatur ad ſiccum vergens, temperatus; proindè vitentur ſol & frigus, navigatio & cœli mutatio modò denſius petatur; exetcitium mo-

---

(1) Comment. aphor. *Boërhaav*. t. IV, p. 83.

(2) Canon md. l. III, ſect. X, tract. V, cap. V, p. 661.

(3) De curat. admir. curat. VIII oper. Tom. VII, p. 254.

(4) De morb. cur. & cogn. l. II. CX de phthiſi.

(5) Cap. de phthiſi.

deratum, ambulatio, gestatio mollis, frictiones antè cibum, hæc omnia prosunt. Alvus sit lenis; ab immodicis animi affectionibus abstineat æger, à negotiis, à venere: cibi sint coctu faciles, crebri, tenues, nutrientes, v. g. Jura pullorum, caponum, gallinarum, perdicum, phasianorum aut vitulorum pedum, hæderum, castratorum. Sorbitiones erunt ptisanâ alicâ, orisâ, amigdalarum, & præcipuè amararum emulsiones.

Cochleis terrestribus, testudinibus nemoralibus, cancris fluviatilibus confecta jura.

Lacte nihil præstantius videtur. Sed inter lactis species diversas, muliebre eligendum, dein asininum, bubulum, caprinum. Augetur vel minuitur lactis proprietas, ratione victûs ipsius animalis. Lactucâ, portulacâ, chicorio educatum, lac refrigerat: fæniculo, hyssopo, adiantho, hordeo, &c. nutritum, terget lac: & sic de cæteris. Sumitur lac cum saccharo præcipuè rosato.

Si lac in ventriculo corrumpatur succis acidis, tunc addatur aqua calcis: si inertiâ ventriculi, aquæ vitæ addatur.

Lacte abstinendum sæpissimè, si alvi profluvium contingat: tunc *Morton* vult diascordium & corticem peruvianam simul mixta ãa administrari. ter quaterve in die ad ℨj. quoties.

Curationis deploratæ phthisis non invenimus exemplum. Solatium superest in ministrantium amænitate, in vanâ spe quam suadet medicus, & in medicamentis lenissimis quæ diversa exiguunt symptomata. Eclegmata diversa cum melle rosato vel sirupis diversis, vel therebentinâ.

FINIS.